

088

086

092

082

097

077

137

037

187

587

Ende

Anfang

77

sunt enim maxime zelotypi, et mirabilibus poenis castigant uxores
etiam pro minimo respectu, nam statim ad ictum oculi spiritus
zelotypiae eos invadit, et durissime castigant ad placitum sine
lege. Ne autem spiritus ille severus zelotypiae nimis excedere
virum faceret, datur ecce et ordinatur sacrificium Num. V. Est
enim spiritus ille ita severus, quod non sinit virum, quem posse-
derit, quiescere, nisi uxorem confuderit, sicut patet in Vulcano.
Qui cum invenisset Martem cum Venere sua uxore in lecto, simul
ambos catenis invisibilibus detinuit, quoisque aliis diis eos in
derisionem ostendisset. Spiritus ille Zelotypiae est filius Discordiae,
Discordia autem est prima filia Demogorgonis primi dei, secundum
poetarum fictiones; vel filia Jovis, qui eam de coelo in terram
projecit, ubi perpetuo incurrit et omnibus nuptiis interesse cupit, et
si ad nuptias vocata non fuerit, nihilominus se ingerit et semina
suae perniciei derelinquit. De hoc occurrit poeticalis fabula: nam
dum Peleus despontasset sibi callide Thetim, Jupiter ad eorum
nuptias omnes deos invitavit, praeter Discordiam. Quae indignans
venit cum pomo aureo, quod projecit in locum, ubi tres deae,
foeminae speciosissimae, Juno, Pallas et Venus, sedebant, dicens:
id deberi digniori et speciosiori. Quae dum corrixarent pro pomo,
Jupiter Paridem adduxit judicem. Paris autem id Veneri dedit,
propter quod Venus illi raptum Helenae concessit, ex quo con-
secutum est Trojanum bellum, et innumeri populi occisi, inter
quos etiam Achilles occubuit, qui in nuptiis illis, ad quas vocata
Discordia non fuit, (102 a) natus est, quia filius Pelei et Thetis
erat. Et sic expiata est injuria. Haec Discordia adeo infesta est
paci conjugum, ut etiam nonnunquam in conjugiis Christianorum
inveniatur, quamvis contra eam eorum conjugia sint sacramentis
et benedictionibus coelestibus sancta et non nisi inter duos ordi-
nata. Non ego miror, quod Tanguardinus duarum uxorum vir sine
sacramento conjugatus discordiam sociam sui conjugii passus fuit.

Cum autem factus fuisset dies, sollicitavimus Tanguardinum
pro littera Soldani et virum durum ad nos invenimus, quem do-
mina Discordia corruperat; victus tamen precibus nostris ad curiam
domini Soldani equitavit, et litteram pretiosam, nobis tamen inu-
tilem, imo praejudicialem, attulit, ut patebit sub porta civitatis
Alexandrinae. Cum enim peregrini tales litteras portant, putant
exactores, eos thesaurum eportare; et intimius visitant tales.